



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

2. Qui appellare possint? unius è socijs appellatio num etiam alijs prosit?
an dominus in causa subditorum rectè appellet? non gravatus nunquid
appellet?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

dicialis ergò provocatio fit ab actu judi-
 ciali, hæc ab extrajudiciali, id est, non à
 Judice, sed à parte extra judicium vel à
 Judice extrajudicialiter procedente; illa
 causam appellandi veram exigit, ista pro-
 babili contenta est: ut si timeam turbari
 in possessione alicujus rei, etsi turbatus
 necdum sim, appellare possum, teste Re-
 bus: qui cum cæteris DD. benè advertit
 appellationum sive judicialium, sive ex-
 trajudicialium, alias esse rationabiles, id
 est, justas, & legitimas, alias frustratorias,
 frivolas, inanes, & leves: frustratorias,
 ut quæ morandæ solutionis, vel suspen-
 dendi judicii causâ interponuntur, L.
tutor. ff. de usur. frivolas autem, & leves,
 quæ pro minimis rebus interjiciuntur,
 quæque ut tales, & temerariæ rejiciuntur
 & quas reipsâ rejicit Ulp. in L. *si rem alie-
 nam. §. solutam autem. de pignor. act.*

2. Appellat non solum Dominus, sed
 & is, cuius interest, & procurator, tutor,
 curator, quin hi officii causa non solum
 possunt, sed & debent appellare, appella-
 tionemq; interpositam regulariter pro-
 sequi, ut habetur. L. 5. ff. de appell. L. 2. ff.

an per al. caus. appell. redd: poss. Appellat
 quoq; is, cui mandatum est, tametsi prio-
 ri iudicio expertus non sit: item cui man-
 datum non est, si ratam habeat appellatio-
 nem ab eo interpositam Dominus. Hoc
 amplius citra mandatum auditur. Ma-
 ter in causâ filii, maritus in causâ uxoris.
L. 1. ff. de appell. recip. & generaliter qui-
 cunq; citra mandatum agere possunt, re-
 ctè dixeris & sine mandato appellare pos-
 se. *Gail. 1. obs. 133.* Nomine autem eius, qui
 ad supplicium ducitur, humanitatis gratia
 cuilibet appellare conceditur, per *L. non
 tantum. 6. ff. de appellatione.* Quid si unus
 è pluribus sociis appellaverit? si cau-
 sa communis sit, & una eademq; omni-
 um defensio, appellatio ejus etiam pro-
 dest cæteris, qui non appellaverint per *L. 1.
 & 2. Cod: si unus è pluribus appellat.* SED
 an Dominus in causa subditorum citra
 mandatum appellare potest? Rectè à
 plerisque respondetur, non aliter posse ni-
 si ipsorum intersit *L. 5. ff. de appel.*

3. Quemadmodum verò quilibet gra-
 vatus, & cujus interest, appellare potest,
 ita è diverso non gravatus, & cujus non